



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Arnoldi Corvini à Belderent J. U. D. Jus Canonicum, Per  
Aphorismos Strictim Explicatum**

**Corvinus van Beldern, Arnold**

**Amstelodami, 1663**

Clerico per saltum promoto.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10591**

currunt: incurront, si ea sit supina; dispensatione tamen Pontificis eâ liberantur. c. illud. 5. c. Apostolica. 9. hic.

### *De Clerico non ordinato ministrante.*

T I T. XXXVI.

**S**ecunda causa est, *si Clericus non sit ordinatus.*

Is si nihilominus ministerium ordinis, quem non consecutus, exsequatur; ab Ecclesia dejicitur, & nunquam ordinatur. c. i. hic.

Sic qui Diaconus tantum est, si Missam celebravit, ad sacerdotium, sine dispensatione, *Gloss. ad. c. fin. verb. promoveri.* eod. non promovetur, & à Diaconatu ad tempus suspenditur; sed in beneficio, si habet, ad tempus dispensari poterit, ne sustentatione privatus, ad seculi negotia revertatur. d. c. fin. eod.

Ob quam rationem etiam ob homicidium ab officio suspenso beneficium reservatur. c. studeat. 39. dist. 50. c. Presbyterum. dist. 28.

### *De Clerico per saltum promoto.*

T I T. XXXVII.

**T**ertia causa est, *si Clericus non gradatim, sed per saltum,* id est, à minori ad majorem omisso medio: ut ad Diaconatum ante Subdiaconatum, Presbyteratum ante Diaconatum, *sit promotus.*

Quæ ordinatio non valet; Undè si scienter promotus ministrat, ut Clericus qui non ordinatus ministravit, punitur: Si ignoranter, suspenditur ab executione suscepti, donec peractâ pœnitentiâ ad omissum fuerit ordinatus. c. un. hic. c. unico. dist. 52.

Quæ pœnitentia censetur arbitraria; quia jure non definita. c. non satis. de offic. deleg.

Dixi ab executione suscepti; quia ordo, ab eo qui ordinandi potestatem habet, quomodo cunque sive per gradum, sive

T I T. XXXVIII. DE EO QUI ORDINEM, &c. 297

sive per saltum, collatus, charactera quidem confert; non executionem; nisi juris regulæ sint servatæ. *ut dic. Hostiens.*  
*& Panorm. ad c. un. hic.*

*De eo qui ordinem furtivè suscepit.*

T I T. XXXVIII.

**Q**Uarta causa est, si Clericus clam & furtivè ordinem acceperit.

Illud fecisse intelligur, non tantum qui se clam cum aliis intrusit, cum quibus promotus; *c. quando Episcopus. dist. 24.* sed & qui plures ordines uno tempore simul suscepit. *c. innotuit. fin. hic.*

Hic à majoribus ordinibus exclusus, etiam suscepti ordinis executionem, de rigore juris, non habet; *d. c. innotuit. hic.* & pœnitentia monasterii ei injungitur. *c. veniens.*  
*i. c. innotuit. eod.*

Ad superiores tamen ordines descendere potest, si cum eo dispensemur. *d. c. veniens. i. & 2. & fin. eod.*

Dispensare potest solus Papa, si contra hoc facientes lata erat excommunicatio; si non, & Episcopus, & Abbas. *d. c. i. & 2. & fin.*

Furtivè etiam ordinatus censetur, qui sine examinatione se ordinari curavit; *c. extra conscientiam. dist. 64.* *c. quando. dist. 24.* quare & deponi debet. *c. si quis Presbyter. c. fin. dist. 24.* *c. ex pœnitentibus. dist. 50.*

*De excessibus Prælatorum & Subditorum.*

T I T. XXXIX.

**S**equitur nunc specialiter de Clericorum sive Prælatorum, sive Subditorum delictis, quatenus non funguntur officio, quod sibi invicem præstare debent.

Peccat enim Prælatus, cum excedit officium suum erga Subditos; & peccant Subditi, cum erga Prælatos officium suum excedunt.